Nowolski

SYNOPSIS
JURIS ECCLESIASTICI
PUBLICI ET PRIVATI,

QUOD

PER TERRAS HÆREDITARIAS

AUGUSTISSIMÆ IMPERATRICIS

MAR. THERESIÆ

OBTINET.

VINDOBONAE,

TYP. IOAN. THOMAE NOB. DE TRATTNERN,

CAES. REG. AULAE TYPOGR. ET BIBLIOPOL.

MDCCLXXVI.

UNIVERSI JURIS
ÆCCLÆSIASTICI
TUM PUBLICI TUM PRIVATI
PROLEGOMENA.

DE
GENUINA JURISPRUDENTIÆ ECCLESIASTICÆ INDOLE, PARTIBUS, AC DIVISIONE.

I.

J*urisprudentia Ecclesiastica* est scientia legum Ecclesiasticarum conjuncta cum habitu leges ad facta applicandi.

II.

Ut leges hæ recte & intelligantur & ad facta applicentur, determinationes Legum diligenter evolvendæ sunt.

III.

Igitur & rationes legum diligenter perſcrutandæ.

IV.

Rationes legum uti ſunt multijugæ, *philoſophicæ*, *hiſtoricæ*, *arcanæ:* ita ea cognitio Juris eſt perfectior, quæ plures legis rationes complectitur. Et

V.

qui rationes legis perſpicit, is *Spiritum legis* tenet.

VI.

Hinc liquet, quam non utilis modo, ſed & neceſſaria ad ſolidam Jurisprudentiam Eccleſiaſticam *Philoſophiæ moralis*, *Juris naturæ*, ac inprimis *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ* cognitio.

VII.

Jus Eccleſiaſticum aliud *divinum* & *humanum*, *publicum* & *privatum*, *ſcriptum* & *non criptum*, *Vetus*, *novum*, & *noviſſimum.*

DE ORIGINE ET PROGRESSU JURIS ECCLESIASTICI.

VIII.

Naſcente Eccleſia leges perpaucæ.

IX.

Auctæ illæ Conciliorum Decretis, unde *Codices Canonum* multiplices orti, Codex Cano-

nonum *Ecclesiæ Græcæ*, *Romanæ*, *Africanæ*, *Hispanicæ* &c.

X.

In Germania sola vetus Canonum compilatio obtinuit, donec Carolus Magnus collectionem *Dionysianam* Romæ ab Hadriano Papa post medium seculi VIII. acceptam, domum referret.

XI.

Exeunte seculo VIII. *Jus novum* ecclesiasticum; sub schemate tamen antiquitatis disseminatum est per collectionem Canonum *Isidori Mercatoris*.

XII.

A cujus temporibus auctus admodum est collectionum numerus; inter quas in Germania collectio *Capitularium Regum Francorum* eminuit, libris VII. a Benedicto Levita Moguntinensi comprehensa.

XIII.

Celebriores ceteræ collectiones erant, *Reginonis*, *Burchardi*, *Ivonis*, & *Gratiani*, cujus postremi collectio brevi in scholis & foris civitate ubivis donata fuit.

XIV.

Seculo decimo tertio ineunte Pontifices Romani ipsi collectionibus Canonum edendis animum adjecere, Innocentius III. *Innocen-*

 tianæ,

tianæ, & Honorius III. *Honorianæ*, quas tamen longe poſtea ſuperavere *Libri V. Decretalium* auctoritate Gregorii IX. collecti, & ab eodem anno 1234. ad Doctores & ſcholares Academiæ Bononienſis miſſi.

XV.

His a. 1258. *Sextus Decretalium* auctoritate Bonifacii VIII. additus.

XVI.

Librum VI. Decretalium ſubſecutæ ſunt a. 1317. *Conſtitutiones Clementinæ*; & has demum *Extravagantes Joannis XXII.* & *Extravagantes communes.*

XVII.

Atque his Collectionibus *univerſum Juris Canonici Corpus* abſolvitur, dum, quæ poſtea conditæ leges ſunt, non amplius in *Corpus Juris Canonici* referebantur, quorum complexus idcirco *jus noviſſimum* audit, cujus partes nobiliores ſunt *Concilium Conſtantienſe* & *Tridentinum.*

XVIII.

In Germania *juris noviſſimi* partem inſigniorem *Concordata Germaniæ*, *Pax Religioſa* & *Weſtphalica* conſtituunt.

XIX.

Ita crevit in molem ingentem *Jus Canonicum*, quod per octo prima Eccleſiæ ſecula codice non valde amplo continebatur.

XX.

Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ forma in nascente Ecclesia admodum simplex erat.

XXI.

Vitium traxit illa primum per *Isidori* psevdo-Decretales, ac demum seculo 12. per trituram forensem.

XXII.

Auxit malum abusus methodi scholasticæ, ac omnium maxime nocuit methodus sophistica, & problematica.

XXXIII.

At renatis melioribus litteris & illa perpurgari cœpit.

DE PRINCIPIIS JURIS ECCLESIASTICI.

XXIV.

Quandoquidem Jurisprudentia Ecclesiastica scientia est legum ecclesiasticarum, principiis certis & indubiis illa nitatur oportet, unde doctrinam suam de legibus deducat. Quare cum aliæ quidem in Jure ecclesiastico leges *divinæ* sint, ab ipso JEsu Christo latæ, quas tum in *Scriptura Sacra*, tum in *Traditione* Ecclesiæ reliquit suæ: aliæ *humanæ*, quas seu *Apostoli*, seu successores eorum *Episcopi* in aut extra *Concilia* sanxerunt, relinquitur: duo

omnium prima Juris Ecclesiaſtici principia *Scripturam S.* eſſe atque *Traditionem*, cujus teſtes & depoſitarii *Patres Eccleſiæ* ſunt; deinde *Concilia*, *Decreta Epiſcoporum ſingulorum*, præprimis *Pontificis Romani*. Atque hæc quidem vulgo *principia proxima* vocantur.

XXV.

At quoniam nonnullæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ exterioris partes ſæpe aliquid admixtum habent, quod ad ſtatum Regnorum civilem pertinet, in his etiam Principibus, & Imperantibus civilibus jus, quæ ad ſalutem publicam pertinent, determinandi competere, res ipſa loquitur; quo fit, ut & *ſummorum Imperantium Civilium leges* inter Juris Eccleſiaſtici principia locum habeant ſuum.

XXVI.

De ejusmodi diſciplinæ exterioris partibus interdum integræ nationes *pacta ſingularia* iniere, qualia in Germania ſunt *Pax Religioſa*, *Weſtphalica*, *Concordata Germaniæ &c.* quæ proinde ex numero principiorum Juris Eccleſiaſtici non niſi immerito excluſeris.

XXVII.

Sed & *Juris naturalis* leges inter principia Juris Eccleſiaſtici collocandæ. Uti enim religio *revelata* religionem *naturalem* non deſtruxit, imo perfecit, ita & leges Juris naturalis obtinere etiamnum in Eccleſia debent.

Jus

JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM.

DE ORIGINE, NEXUQUE PRIMIGENIO SOCIETATIS CHRISTIANÆ GENERATIM.

XXVIII.

Servator mundi Christus Jesus quum inter homines vitam ageret, interitum legis Mosaicæ non annuntiavit modo persæpe, sed aliam etiam in ejus locum societatem instituit, a judaica omnino diversam, quæ *Societas Christiana* vocatur.

XXIX.

Nexus institutæ hujus societatis per ejusdem veræ fidei, eorundemque Sacramentorum participationem, ac dilectionis mandatum, nec non per concessam societatis hujus pastoribus, principaliter Petro, & ejus successoribus *potestatem clavium* subsistit.

XXX.

Quam societatem qui intrare vellent, per baptismum, ceu pactum solemne ad nexus hujus observantiam se se adstringerent.

XXXI.

Societas igitur chriſtiana divinæ originis eſt. Eſt ſocietas perfecta nexu animorum non interno ſolum, ſed externo etiam colligata cum unionis, tum ſubjectionis, nec non & pacti ſolemnis.

DE LEGE FUNDAMENTALI SOCIETATIS CHRISTIANÆ.

XXXII.

Quoniam porro formam, ſecundum quam ſocietatem hanc ſuam Chriſtus inſtituit, in ſcriptura ſacra novi teſtamenti, tum in traditione orali nobis reliquit, liquet: Scripturam N. T. nec non Teſtamenti ejusdem traditiones divinas legem ſocietatis chriſtianæ eſſe fundamentalem.

XXXIII.

Unde ſicut in Jure Eccleſiaſtico ad verbum Dei ſcriptum, & traditum primo loco recurrendum, ita quæ ex iis rite deducuntur, invictæ ſunt auctoritatis, modo ex genuino ſenſu ſcripturæ ſacræ, & traditionibus *vere divinis* deducta ſint.

XXXIV.

Quapropter uti ſenſus ſcripturæ *divinus* a ſenſu *humano*, ita & traditiones *divinæ* ab *eccleſiaſticis*, & hæ iterum a *vulgaribus* & *piis credulitatibus* probe ſunt in jurisprudentia eccleſiaſtica ſecernendæ.

XXXV.

XXXV.

Et quoniam traditiones potiſſimum in ſcriptis *Patrum Eccleſiæ* continentur, etiam de horum auctoritate, rectoque uſu diligenter præcipiendum in Jurisprudentia Eccleſiaſtica.

XXXVI.

Neque tamen propterea ſcripturæ ſacræ V. T. negligendæ. Sunt enim illæ æque *Verbum Dei*, & quantum ad veritates *credendas* in iis contentas, credere eas hodie debet Eccleſia Chriſtiana non minus, ac olim Judaica, eo ſolum diſcrimine, quod quæ tum in figuris tantum nota, credebantur eventura, nos eveniſſe jam credamus.

XXXVII.

At quantum ad *jus agendorum*, quod in iisdem V. T. ſcripturis continetur, ſane leges illorum *ceremoniales*, *politicæ*, & *judiciales* nihil ad nos attinent, qui alias tum Eccleſiaſticas, tum civiles leges habemus.

XXXVIII.

Quamobrem neque a *ſtatu publico* ſynagogæ & a ſacerdotio veteris teſtamenti ad *ſtatum* & *ſacra Eccleſiæ chriſtianæ* invicta valet conſecutio.

XXXIX.

Lucis tamen non parum ex V. T. libris accedit N. T. ſcriptis, ob utriuſque nexum, &

quod exemplo legis Mosaicæ haud pauca vigeant in Ecclesia Christiana.

DE JURE DETERMINANDI IN ECCLESIA, POTESTATE LEGISLATORIA ET JUDICIARIA.

XL.

Jus determinandi cum correspondente obligatione parendi Societatibus perfectis alioqui proprium, a Christo etiam Ecclesiæ suæ in potestate clavium, potestate ligandi & solvendi concessum esse, Scripturæ N. Testamenti locis bene multis luculenter perhibent.

XLI.

Ac Juris hujus concessionem mox usus ipse praxisque vel in nascente Ecclesia comprobavit.

XLII.

Quod tamen intra Sphæram Sacrorum stetit.

XLIII.

In jure determinandi porro quoniam potestas & Legislatoria continetur & judiciaria, utraque a Christo Ecclesiæ concessa intelligitur, quam Apostoli etiam, eorumque Successores reapse exercuere.

DE JURE COGENDI IN ECCLESIA.

XLIV.

Cum distributio bonorum Spiritualium, quæ e Societate Christiana promanant, Ecclesiæ di-

vinitus concessa sit, non temere utique, sed prudenti cum judicio facienda: Ecclesia etiam jure pollet subtrahendi eadem bona immerentibus; proin & subtractione horum bonorum *cogere* fideles potest ad obediendum legibus illis, quarum sanciendarum & penes Ecclesiam jus est, & penes fideles obligatio parendi.

XLV.

Id quod dum agit Ecclesia. *excommunicare* dicitur. Jus igitur ferendi excommunicationem ex instituto manat divino, excommunicatioque privatione *Communionis Sacrorum* continetur.

XLVI.

Unde quos ceteros effectus civiles annexos habet excommunicatio, eos ex Principum consensu habet.

DE SACRO ECCLESIÆ IMPERIO.

XLVII.

Quoniam ubi potestas *judiciaria*, *legislatoria*, & *jus cogendi* est, ibi & *Imperium* est; Ecclesiæ quoque *imperium* divinitus concessum esse, negari nequit.

XLVIII.

Quod tamen quum imperium mere *Sacrum* sit, & intra sphæram *Sacrorum* contineatur, Ma-

jesta-

jeſtati civili nec quidquam detrahit; & utrumque ſuo in genere ſummum manet & independens.

XLIX.

Sed & modus admininiſtrandi Imperii ſacri a modo civilis Imperii permultum differt; quippe in quo nullus dominio eminenti, & dominatui, prouti Chriſtus, & Petrus illum excludunt, locus ſit, in quo ſalutem publicam non liceat interitu privatorum conſervare, nec pœnas irrogare ejusmodi, quibus quenquam perdat, ſed ſolum quibus pœnitentibus ſalutem conciliet.

L.

Unde facile intelligitur, cur illud *miniſterio* ſimilius eſſe Chriſtus voluerit, & legem Imperii ſacri præcipuam poſſuerit *legem dilectionis.*

LI.

Imperium ſacrum porro Eccleſia omnium ſemper ſplendidiſſime in Conciliis generalibus exercuit; quorum ut firmior adhuc & inexpugnabilis eſſet auctoritas, privilegio inerrantiæ in fidei, morumque controverſiis determinandis Chriſtus illa munivit.

LII.

Quum tamen primis Eccleſiæ ſeculis Concilia generalia celebrari ob gentilium perſecutiones haud poſſent, a tempore Conſtantini M. usque ad Ferdinandum I. Imperatorem unum & viginti numerantur Concilia generalia, quorum

octo

octo priora in Oriente, cetera in Occidente ſunt celebrata.

LIII.

Quæ porro Conciliorum horum definitionibus in rebus fidei, & morum inerrantia competit, non ea ad res Diſciplinæ etiam pertinet, de quibus proin cum leges ſanciunt, mutationi illæ utique ſunt obnoxiæ. Quare videndum ſemper diligenter, num leges illæ ubivis receptæ, aut abrogatæ iterum, ſeu conſuetudine, ſeu legibus poſteriorum Conciliorum.

DE FORMA IMPERII SACRI.

LIV.

Imperium ſacrum Chriſtus non quibusvis de populo, ſed ſolis Apoſtolis contulit, ac inter hos præcipuo quodam modo Petro, ut is & ipſorum Apoſtolorum caput eſſet, quo ita Eccleſiæ unitas conſervaretur. Atque hæc Petri in Imperio ſacro prærogativa *Primatus Petri* vulgo appellatur.

LV.

Quemadmodum autem Imperium ſacrum non intra fines *nudi directorii*, aut ſola prærogativa honoris conſiſtit: ita & illud, quod in ipſo hoc imperio peculiare Petro præ ceteris Apoſtolis datum fuit, id eſt Primatus Petri, Primatus *auctoritatis* & *jurisdictionis* ſit oportet.

LVI.

LVI.

Quumque inſtituti hujus Primatus cauſſa finisque omnis in eo eſſet, unitas ut conſervaretur in Eccleſia: ſane non is merum Petri privilegium *perſonale* fuit, ſed *reale*, in Eccleſiæ commodum perpetuo impertitum, perinde ac reliquum Imperium ſacrum Apoſtolis conceſſum.

LVII.

Quamobrem regimen Eccleſiæ, quale quidem divinitus inſtitutum accepimus, haud *mere* eſt *monarchicum*, ſed *ariſtocratia tempera tum*.

DE SOCIETATE ECCLESIÆ INÆQUALI, SACRAQUE IN EA HIERARCHIA.

LVIII.

Ex conſtituto divinitus in Eccleſia Imperio recte conſequitur, Eccleſiam eſſe ſocietatem *inæqualem*, & Rempublicam quandam ſacram, in qua nempe ſint alii, qui imperium exerceant, alii, quorum ſita in obediendo glôria.

LIX.

Immo quoniam præter Primatum Petri, quo unus ceteris eminet, alii adhuc in Eccleſia ſunt, quibus portio varia, variique poteſtatis ſacræ gradus qua divino, qua eccleſiaſtico inſtituto conceſſi ſunt: in Eccleſia ordo quidam, & ſubordi-

ordinatio inter ipſos Imperantes ſacros, id eſt quædam *Hierarchia* viget, divino partim, partim eccleſiaſtico inſtituto promanans.

LX.

Diſpeſcitur illa vulgo in hierarchiam *Ordinis*, & hierarchiam *jurisdictionis*. Prior eorum, quorum magis in *miniſterio*, hæc vero quorum in *jurisdictione* magis poteſtas eluceſcit, ſeriem complectitur.

LXI.

Ac quam quidem inſtituto divino accepimus, hierarchia, *Epiſcopis*, *Preſbyteris*, & *Miniſtris*, ſeu *Diaconis* abſolvitur.

LXII.

Ceteros gradus Eccleſia ſuo ſive inſtituto, ſive moribus cœtuum adjecit; ſcilicet ad *hierarchiam Ordinis Subdiaconos*, *Lectores*, *Oſtiarios*, *Exorciſtas*, *Acolythos* &c. Ad hierarchiam *jurisdictionis Metropolitas*, *ſeu Archiepiſcopos*, *Patriarchas*, *Cardinales*, *Archi-Preſbyteros*, *Primicerios*, *Præpoſitos*, *Decanos* &c.

PARS II.

DE JURIBUS IMPERANTIUM IN ECCLESIA.

DE JURIBUS SUMMI IN ECCLESIA PRIMATIS, ROMANI PONTIFICIS.

LXIII.

Poſtquam divus Petrus Eccleſiæ Romanæ regendæ immortuus eſt, quotquot poſt illum rite electi eidem Eccleſiæ præſunt Epiſcopi, eos & jure, & merito univerſa Eccleſia etiam Petri in Primatu ſucceſſores agnoſcit.

LXIV.

Primatis hujus jura ut ſunt hodie multijuga, ita non omnia uniusmodi. Sunt alia *eſſentialia*, ſeu quæ *inſtitutione divina* competant, quo refertur 1. jus petendarum, recipiendarumque relationum & appellationum ad ſervandam unionem fidei. 2. In terminandis fidei controverſiis *partes ejus* inter ceteros Epiſcopos *præcipuæ*. 3. Jus convocandi Concilia, iisque præſidendi, celebrataque confirmandi. 4. Jus primario defendendi cauſas fidei. 5. Jus tutandi, vindicandique obſervantiam canonum per omnes Eccleſias. 6. Jus ferendi *leges diſciplinares univerſales*, quæ tamen ut ubivis obligent, promulgationem earum

in

in ſingulis diœceſibus per Epiſcopos diœceſanos faciendam, accedere oportet, neve juribus ſingularibus Eccleſiarum, aut Regnorum ſint contrariæ. Unde quali polleant auctoritate *Libri Decretalium*, *Clementinæ*, *Extravagantes*, *Decretum Gratiani*, nec non Curiæ Romanæ tribunalium declarationes & ſententiæ, facile intelligitur. 7. Jus relaxandi canones Conciliorum etiam generalium in caſibus particularibus, in quibus nempe Concilia ipſa legis gratiam facerent ſecundum diſpenſationum regulas in Conciliis præſcriptas. 8. Jus devolutionis ſupremum, quo Pontifex Romanus deſciſcentes ab officio Prælatos, ad muneris expletionem revocare, & ita negligentiam eorum ſupplere valeat, ſalvis tamen *devolutionibus intermediis.*

LXV.

Alia jura Primatus ſunt *accidentaria*, ſeu quæ non divino promanant inſtituto, ſed aliunde acceſſere, & ſerioribus temporibus Pontifici Romano reſervata ſunt; quo pertinent 1. Jus *confirmandi* Epiſcopos; 2. Jus eosdem conſecrandi, 3. transferendi, 4. Jus admittendi reſignationes Epiſcoporum, 5. Jus exauctorandi Epiſcopos, 6. Jus erigendi novos Epiſcopatus, 7. Jus uniendi, dividendique Epiſcopatus, 8. Jus beatificandi & canonizandi, 9. Jus approbandi, tollendique inſtituta Religioſorum Ordinum &c.

LXVI.

Ad neutram jurium iſtorum claſſem poteſtas illa Pontificis pertinet, quam vulgo *indirectam in temporalia Regum* vocant, & qua ille etiam *de temporalibus Regum* præcipere, ac eos Regnis etiam multare poſſit, ſi Eccleſiæ ſalutique animarum noceant. Tantum enim abeſt, ut hæc Pontifici Jure aliquo competat, ut etiam ſpiritui Eccleſiæ contraria ſit.

LXVII.

In fidei, & morum quæſtionibus ſummi Pontificis inter ceteros Epiſcopos præcipuæ ſunt partes, ejusque decreta ad omnes, & ſingulas Eccleſias pertinent.

DE CETERIS ROMANI PONTIFICIS PRÆTER PRIMATUM DIGNITATIBUS, AC INDE MANANTIBUS JURIBUS.

LXVIII.

Præter Primatum Pontifex Romanus dignitate *Patriarchatus* per univerſas Occidentis Eccleſias fulget. Suſtinet ad hæc perſonam *Primatis*, ſeu *Exarchi* totius Italiæ. Præeſt ſimul tanquam *Metropolita* Provinciæ Romanæ, quæ non centeſimo ab urbe Roma lapide, ut Salmaſio & Gothofredo viſum, continebatur, ſed *regiones decem ſuburbicarias* olim com-

ple-

plectebatur. Eſt denique *Epiſcopus Urbis Romæ*, ac ita juribus gaudet poteſtatis diœceſanæ in paræcia Romana.

DE SENATU ROMANI PONTIFICIS CARDINALITIO, HUJUSQUE JURIBUS.

LXIX.

Quum olim nomen *Cardinalis* commune eſſet miniſtrorum Eccleſiæ, qui alicui Eccleſiæ perpetuo addicti, & velut *incardinati* erant, ut perinde ſecernerentur ab iis, qui jure fiduciario & nomine adminiſtratorio Eccleſiis ad tempus præficiebantur: tandem ſolis illis nomen hoc reſervatum eſt, quibus poſt Nicolai II. tempora eligendi Pontificis poteſtas commiſſa.

LXX.

Coaluere hi poſtea in peculiare Collegium Cardinalitium, & in brevi ſplendidiſſimis aucti ſunt decoribus & juribus. Ac decora quidem conſiſtunt in proedria, qua Epiſcopos quosvis, Archiepiſcopos, ac Patriarchas antecedunt — in veſte & galero purpureis — in titulo *eminentiſſimi*. Jura autem: quod primos agant Pontificis Conſiliarios — præcipuis Romæ præſint *Congregationibus* — fungantur munere *Protectorum* ad curanda negotia Regnorum & Prin-

cipum — vocentur ad generales Ecclesiæ Synodos, in quibus ex jure consuetudinario voto gaudent *decisivo* — sede vacante fungantur Imperio civili & politico in omnibus Ecclesiæ Romanæ provinciis—gaudeant denique jure eligendi Pontificem *privative*.

DE CURIA ROMANA, VARIISQUE SUMMI PONTIFICIS TRIBUNALIBUS.

LXXI.

Postquam Tribunalibus forma judiciorum civilium, atque tritura forensis in Ecclesiam per Pontifices est introducta, *Ecclesiæ Romanæ* etiam *Curiæ Romanæ* additum nomen est.

LXXII.

Pro immensa quasi negotiorum multitudine plurimas quoque illa veluti curias minores complectitur, inter quas *Consistorium Cardinalium* eminet. Ceteræ ad duo veluti summa genera referri solent, ut primum genus sit earum, quæ negotiis *contentiosis*, alterum illarum, quæ mere *gratiosis* negotiis curandis destinatæ sunt.

LXXIII.

Curiarum harum potestas etsi tum ex se se, tum relate ad regiones varias, varia est, haud tamen major esse potest, ac sit Romani Pontificis, cujus illa nomine exercetur.

DE

DE LEGATIS ET VICARIIS SEDIS APOSTOLICÆ.

LXXIV.

Miſſio Legatorum etſi conſectarium eſſe videatur juris *ſupremæ & generalis inſpectionis*, quod Pontifici pro unitate fidei, ac bono diſciplinæ Eccleſiaſticæ per univerſam Eccleſiam competit, & etſi ſeculis Eccleſiæ anterioribus reapſe miſſi ſunt ſeu ad Concilia generalia, ſeu ad aulas Imperatorum, aut Eccleſias particulares non infrequenter Legati Pontificii: tamen crebriores longe evaſere hæ Legationes, & a prioribus poteſtate, modoque procedendi plurimum diverſæ, ſeculo IX. ac ſpeciatim a temporibus Nicolai I. Pp.

LXXV.

Quare Legatis his modus poſtea poſitus, datæque primum leges, quæ expenſas, & procurationes moderarentur, ac poteſtas eorum demum acciſa eſt ſanctionibus Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis, *Concordatis Germaniæ*, ac denique in ſynodo Tridentina.

LXXVI.

Quamobrem & Legatorum modernorum, quorum tria habemus genera, jura & poteſtas non ex jure *Decretalium*, ſed ex decretis Concilii Tridentini potius, ex Concordatis Germaniæ, ac maxime ex moribus, uſuque hodierno determinanda.

DE PATRIARCHIS, EXARCHIS, PRIMATIBUS ET METROPOLITIS.

LXXVII.

Quatuor hi dignitatum Ecclesiasticarum gradus non divinæ sed humanæ institutioni natales debent suos.

LXXVIII.

Initio tres solum in Ecclesia Patriarchæ numerabantur, *Romanus*, *Antiochenus*, & *Alexandrinus*, quibus demum additi *Constantinopolitanus* & *Hierosolymitanus*.

LXXIX.

Etsi vero Patriarchæ hi illustribus semper præ ceteris Episcopis splenderent juribus, jurium tamen horum omnium, aut saltem plurimorum enumeratio omnium primum in Concilio generali VIII. deprehenditur can. XVII. XXI. & XXVI.

LXXX.

Præter hos quinque Patriarchas *majores*, alii quidam *Patriarchæ minores* medio Ecclesiæ ævo creati, quales hodienum quatuor suspicimus, *Venetum*, *Lusitanum*, *Indiarum*, & *Cilitiæ in Armenia*.

LXXXI.

Primates in Ecclesia dicuntur, quorum jurisdictio in plures provincias, earumque Metropolitanos sese exporrigit. Quorum jura ut olim

plane

plane erant insignia, veluti jus convocandi, & ordinandi inferiores Metropolitas &c., ita illi hodie præter titulum vix quicquam habent præcipui.

LXXXII.

Metropolitarum dignitas moribus primum introducta, Conciliorum dein Canonibus stabilita fuit, veluti Concilio Nicæn. I. can. 4. & 6. &c. Quemadmodum enim civitas, quæ Metropolis civilis erat cujusdam Provinciæ, ceterarum ejusdem provinciæ urbium caput salutabatur: ita pedetentim, ac liberis moribus effectum, ut qui Episcopus urbis Metropolis esset, ceterorum etiam in eadem Provincia Episcoporum caput evaderet Præsesque; dictus idcirco *Metropolita.*

LXXXIII.

Jura metropolitica vel *honoris* sunt, vel *jurisdictionis.* Illa absolvuntur jure proedriæ, seu primæ sedis ante ceteros Provinciæ Episcopos — jure præferendæ crucis Archiepiscopalis — ac jure pallii, cujus quidem pallii origo nondum satis est eliquata.

LXXXIV.

Hæc autem quum olim essent amplissima, imminui cœpere jam inde a seculo IX. & deinceps, ad Tridentini usque Concilii tempora. Ac inter cetera, quæ eis ademta sunt, omnium

maxime duo eminebant, jus nempe *confirmandi Episcopos*, ac *judicandi* eorundem caufas majores, depofitione vel degradatione dignas. Quorum illud in *Concordatis Germaniæ*, iftud in Synodo Tridentina foli fuit Pontifici ftabilitum, quamquam jam antea de Epifcoporum criminalibus cauffis judicium Romano Pontifici effet refervatum.

LXXXV.

Hodie itaque jurisdictio Metropolitarum in fuos fuffraganeos huc fere redit; ut 1. fupplere poffint ac debeant negligentiam Suffraganeorum tum in provifione beneficiorum, tum in adminiftratione etiam juftitiæ, faltem fi cauffa aliqua per *appellationem* ad Metropolitanum devolvitur. 2. Ut Metropolitani fit, fcripto approbare cauffas abfentiæ fuffraganeorum a fuis diœcefibus. Et 3. eosdem, qui ab elapfo jam anno non refident, Pontifici denuntiare. 4. Ut fuffraganeos in erigendis feminariis defides corripiat. 5. Ut tertio quoque anno Concilium Provinciale indicat. 6. Ut vifitare quidem diœcefes fuffraganeorum poffit, aft *non nifi cauffa cognita & probata in concilio provinciali*; unde & jus hoc hodie ferme inutile effectum, dum fynodorum provincialium celebratio in defvetudinem abiit.

LXXXVI.

DE JURIBUS EPISCOPORUM.

LXXXVI.

Poteſtas Epiſcoporum originis & inſtituti divini eſt.

LXXXVII.

Hac illi Presbyteris ſuperiores ſunt, hancque non a Romano Pontifice, ſed proxime a Deo nanciſcuntur.

LXXXVIII.

Quare & diœceſes ſuas regunt nomine & jure non quodam *vicario* Pontificis, & *beneficio alieno*, ſed *jure proprio*, tanquam veri nominis hierarchæ a Deo inſtituti, ſubordinati tamen Pontifici ceu Primati univerſæ Eccleſiæ.

LXXXIX.

Poteſtas igitur eorum, qua ſuis præſunt diœceſibus, *plenaria* eſt & *ſolida*, *ac ordinaria*; cujus cum pars præcipua ſit præficere Paſtores inferiores, in quos curam paſtoralem ſecure partiantur, collatio quoque beneficiorum ad eosdem jure pertinet.

XC.

Pertinet ad plenariam & ſolidam Epiſcoporum poteſtatem etiam jus viſitandæ diœceſis; quam viſitationem ſingulis annis ab Epiſcopis inſtitui; aut ſi ob diœceſis latitudinem intra an-

num

num explere nequeant, biennio ſaltem abſolvi voluit Synodus Tridentina.

XCI.

Ex poteſtate imperii ſacri, quod Chriſtus Apoſtolis contulit, etiam Episcopis ceu eorum ſucceſſoribus poteſtas *legislatoria*, *judiciaria*, & *coactrix* competit; quam exercere poſſunt ſeu extra, ſeu in ſynodo diœceſana, ad quam diœceſis ſuæ Clerum convocare poſſunt.

XCII.

Collectorum in Conciliis generalibus Epiſcoporum nobiliſſima certe prærogativa eſt inerrantia illa & infallibilitas in determinandis *rebus fidei*, & *morum*.

DE EPISCOPIS GERMANIÆ.

XCIII.

Duo maxime peculiarem Epiſcoporum Germaniæ mentionem exigunt, inſignis illa poteſtas civilis (*ſuperioritatem territorialem* vocant:) quam Epiſcopi Germaniæ conjunctam cum ſacerdotio tenent; ac dein mutatio, quam eorundem jurisdictio eccleſiaſtica in pace Weſtphalica ſubiit.

XCIV.

Nimirum Jurisdictio eorum Eccleſiaſtica in *Proteſtantes* ſuſpenſa eſt in pace *Religioſa* primum quoad aliqua ſolum capita, ac de-

mum

mum penitus in Pace Weſtphalica, tribus duntaxat adjectis caſibus exceptis. Quorum primus eſt: *ad conſequendos tamen reditus, cenſus, decimas, & penſiones in iis Auguſtanæ Confeſſionis ſtatuum ditionibus, ubi Catholici anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto notorie in poſſeſſione vel quaſi exercitii Jurisdictionis Eccleſiaſticæ fuerunt, utantur eadem poſthac quoque, ſed non niſi in exigendis hiſce penſionibus, nec procedatur ad excommunicationem, niſi poſt tertiam demum denuntiationem Catholicorum.* P. W. Art. V. §. 48.

XCV.

Alter hiſce continetur: *Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſtatus Provinciales & ſubditi, qui anno MDCXXIV. Eccleſiaſticam jurisdictionem agnoverunt, in iis caſibus modo jurisdictioni dictæ ſubſint, qui Auguſtanam Confeſſionem nullatenus concernunt, modo ipſis occaſione proceſſus nihil injungatur Auguſtanæ Confeſſioni vel conſcientiæ repugnans.* Tertius denique mox ſubnectitur his verbis: *Eodem etiam jure Auguſtanæ Confeſſionis Magiſtratuum catholici ſubditi cenſeantur, inque hos qui anno MDCXXIV. publicum Religionis Catholicæ exercitium habuerunt, Jus diœceſanum, quatenus Epiſcopi illud dicto anno quiete in eos exercuerunt, ſalvum eſto.* §. cit.

DE

DE EPISCOPIS TITULARIBUS, ET COADJUTORIBUS EPISCOPORUM.

XCVI.

Episcoporum titularium natales vetus Ecclesia ignoravit.

XCVII.

Qui etsi veri sunt Episcopi, diœcesi tamen cum careant, sitque potestatis Episcopalis exercitium ad diœcesim adstrictum: exercitio potestatis Episcopalis destituuntur, nisi in quantum ab aliis Episcopis diœcesanis ad præstandum subsidiarias in curanda diœcesi operas adsumuntur.

XCVIII.

Coadjutores Episcopis dantur a summo Pontifice etiam ad succedendum, salvis tamen juribus *nominationis*.

DE CANONICIS, ET CAPITULORUM CATHEDRALIUM JURIBUS.

XCIX.

Cum jam inde ab Ecclesiæ primordiis Episcopi sua haberent *Presbyteria*, seu senatum quemdam Ecclesiasticum, cujus opera et consilio in rebus majoris momenti uterentur; Seculo octavo vitam illi communem agere cœperunt secundum Crodegandi Metensis Episcopi regulam monasticis institutis multum assimilem.

C.

C.

Etſi verò hoc vitæ inſtitutum poſtea iterum abjecerant, manſere tamen hodienum coadunati in *Collegia*, ſeu in Congregationes Eccleſiaſticas de vita ex certa regula, & ſtatutis agenda, divinisque officiis communiter in Eccleſia peragendis. Quæ ſi ex Clericis eccleſiarum *Cathedralium*, *Capitula cathedralia*; ſin ex Clericis aliarum eccleſiarum *inferiorum non cathedralium* conſtent, Capitula *eccleſiæ collegiatæ* vocantur.

CI.

Ex quo autem bona Epiſcopi a bonis Capituli ſejungere, corpus formare ab Epiſcopo ſeparatum, ac denique reditus Capituli inter ſe partiri cœperunt Canonici, jura etiam & Prærogativas ſingulares pedetentim acquiſivere, quæ tamen non ſunt ubivis unius modi.

CII.

In Germania certe prærogativa illorum ſplendidiſſima eſt jus, quod habent, liberum eligendi Epiſcopos & Archi-Epiſcopos, qui S. R. I. Principes ſimul ſint & Electores.

DE VICARIIS EPISCOPORUM.

CIII.

Functionibus vice Epiſcopi obeundis, conſtituti olim *Archipresbyter* & *Archidiaconus*.

CIV.

CIV.

At his dum poſtea ſola fere præeminentia cum titulo relicta eſt, Epiſcopi jam inde a ſeculo XII. Vicarios peculiares, alios quidem *Officiales*, ad jurisdictionem *contentioſam*, alios *Vicarios in ſpiritualibus* ad partes jurisdictionis *voluntariæ* in Diœceſi exercendas, inſtituere cœperunt.

CV.

Quare quum hi Vicarii poteſtatem ſuam beneficio alieno teneant, & illa adeo ex terminis Commiſſionis menſuram capiat ſuam: ex uſu potiſſimum ſingularium diœceſium, quanta poteſtate polleant, diſcendum eſt.

DE PAROCHIS.

CVI.

Parœcia olim diœceſim, hodie diœceſeos partem duntaxat indicat, cujus incolæ cœtum quendam minorem de Deo per ſacra Chriſtiana colendo conſtituunt ſub regimine Presbyteri, qui & *Parochus* audit.

CVII.

Inſtitutione divina exiſtitere jam inde ab Eccleſiæ Chriſtianæ initiis Presbyteri quidam inferiores, ſeu ſecundi ordinis, qui ſub regimine Epiſcoporum cœtibus Chriſtianorum præeſſent, a quibus quoniam ii, quos hodie Paro-

chos

chos vocamus, nihil differunt, ſi pauca ſejungas, quæ recentior Eccleſiæ diſciplina addidit, divinæ quoque illi inſtitutionis ſunt, ſi rem ipſam ſpectes, & ſubſtantiam; quo ſenſu & poteſtatem ſuam proxime a Deo obtinent, quæ ordinaria eſt, non vicaria tantum & mere delegata.

CVIII.

Inde jura & Officia Parochorum promanant ſequentia 1. jus adminiſtrandi Parochianis Sacramenta, Ordinis & Confirmationis excepto. 2. Jus habendi fontis baptiſmalis & tribunalis pœnitentiæ. 3. Jus & munus prædicandi verbum DEI & 4. imbuendi fidei ſanctiorisque vitæ rudimentis juventutem. 5. Pauperum aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerendi, ac bonorum omnium operum exemplo paſcendi. 6. Jus habendi cœmeterii, defunctosque ſepeliendi. 7. Delegandi poteſtatem ſuam alteri Sacerdoti idoneo, & ab Epiſcopo approbato. 8. Reſidendi intra paræciæ ſuæ limites &c.

CIX.

Cum autem Parochi in inferiorum Paſtorum numero veniant, certis tantum diœceſeos diſtrictibus ſub regimine Epiſcoporum præpoſiti, ſatis intelligitur, cur 1. eorundem jurisdictio ad forum contentioſum ſe non exporrigat. Cur 2. cenſuras infligere, easdem tollere

in foro externo, aut lites decidere nequeant. Nec 3. legibus ecclesiasticis quenquam solvere, aut legis gratiam facere in impedimentis Matrimonii, in votis &c. nisi quantum id eis ab Episcopo speciatim concessum. Neque 4. a casibus Episcopo reservatis in sacro pœnitentiæ tribunali absolvere. Cum denique 5. muniis Parochialibus intra paræciæ suæ limites, non vero in aliena Parochia, sine Parochi ordinarii consensu, vel Superioris concessione defungi valeant.

DE CLERICORUM JURIBUS ET PRÆROGATIVIS COMMUNIBUS.

CX.

Hæ ad duo summa genera revocantur, ad immunitatem ecclesiasticam *personalem*, & *realem*, quorum illa 1. privilegium *Canonis* quod vocant, 2. privilegium *fori*, 3. privilegium *servitiorum*, & 4. privilegium *competentiæ* complectitur.

CXI.

Privilegio *Canonis* excommunicatio major continetur, lata in notorios Clericorum percussores. de quorum tamen percussione inquisitio facienda ab utraque, Ecclesiastica & civili potestate.*)

CXII.

*) Rescript. Cæsareo-Reg. de a. 1768. 16. Julii & 29. Aug.

CXII.

In *caufis* quidem *facris*, quemadmodum Clerici foro civili non funt obnoxii: ita in ceteris *civilibus* cauffis quidquid exemtionis, quam *privilegium fori* vocant, habuere, aut habent etiamnum, Regum ac Principum conceffioni referendum in acceptis.

CXIII.

Privilegio *fervitiorum* Clerici exemti funt fervitiis ftatui Clericali minus convenientibus, ut facris vacare magis poffint. Quare inter cetera etiam a *militia* exemti funt, nifi forte patria defendi non poffet, quo cafu *juri fequelæ*, quod Regibus ceu confectarium ex jure belli competit, etiam Clerici funt obnoxii.

CXIV.

Privilegium *Competentiæ*, quo Clericis non habentibus, unde creditoribus fatisfaciant, falvam effe oportet fuftentationem ftatui eorum congruam, ex obfervantia diuturna æquitate fubnixa, repetendum.

CXV.

Prima *immunitatis realis* initia Conftantino M. debet Ecclefia. Cumque initio varia effet ea immunitas, modo auctior, modo contractior, pedetentim a feculo undecimo ufque eo crevit, ut etiam ad poffeffiones *patrimoniales & privatas Clericorum* extenderetur. Pofteaquam

enim ex falsis *Isidori* decretalibus semel creditum est, Clericos civili jurisdictioni nequaquam subjacere, idque instituto divino; proclive fuit, ut etiam a tributorum præstatione, quæ subjectionis illius signum esset, liberi crederentur eodem jure. Prædia porro Clericorum, ac possessiones eorum, tanquam *accessoria personæ* tum spectabantur; igitur & has tributis minime obnoxias esse, velut suopte consequi videbatur secundum vulgarem regulam : *accessorium sequitur principale.*

CXVI.

Ita quidem olim philosophabantur. At hodie Philosophia, quæ majoris gratitudinis sit, utimur, & quantulumcunque immunitatis realis superest, illud ex beneficio Principum habere nos, grati recognoscimus.

DE CLERO REGULARI.

CXVII.

Inter hierarchiæ ecclesiasticæ gradus, quos suo Ecclesia arbitratu adjecit, dignitas quorundam *superiorum Regularium*, veluti *Abbatum*, *Ministrorum Generalium* &c. numeratur, quippe quibus præter potestatem paternam etiam pars *potestatis ecclesiasticæ* in præsens competat.

CXVIII.

CXVIII.

Qui vitæ monasticæ institutum, quod seculo Ecclesiæ quarto invaluit, sequebantur, etsi olim Clericorum numero non censerentur, Abbatum tamen, qui eis præerant, non vilis in Ecclesia auctoritas semper fuit. Et sicut postea Cœnobitæ ad statum Clericalem universim elevati sunt: ita Abbates a medio seculo undecimo ornamentis Pontificialibus ornati, præcipua quadam *dignitate ecclesiastica post Episcopos* hodienum refulgent.

CXIX.

Quare ad concilia generalia vocantur, in iisque jure suffragii potiuntur — Cœnobitis suis minores conferre ordines possunt — nec non benedicere vasa sacra &c.

CXX.

Exemtiones Monasteriorum a potestate & jurisdictione Episcopi diœcesani, quæ ante seculum undecimum vix occurrunt, auctæ permultum sunt, postquam seculo decimo tertio novi invaluere Regularium ordines, ex modo vitæ quærendæ dicti *Mendicantes*. Quorum quum nimium cresceret numerus, admissio & adprobatio novi ordinis Religiosi Pontifici eodem seculo est reservata; ad quem proinde etiam jus tollendi Ordines Regulares pertinere existimatum est.

CXXI.

De exemtionibus autem Regularium cum ſæpe querelæ ortæ, ſæpe etiam modus iis eſt poſitus, tum noviſſime in Concilio Tridentino, ut via quadam media res complanaretur, conconceſſum Epiſcopis, ut ſaltem qua *Sedis Apoſtolicæ Delegati* jurisdictionem in exemtos exercere certis caſibus valeant. *Trident. ſeſſ. 6. de reform. c. 3. Seſſ. 25. cap. 14. ſeſſ. 7. c. 15. ſeſſ. 22. c. 8. & 9.*

CXXII.

Qua ipſa tamen Tridentini ſanctione quoniam non tam nova quædam conceſſa, quam vetus potius & avita Epiſcopis reſtituta eſt auctoritas (ſolum enim obſtaculum remotum fuit, quod poteſtati eorum poſuerat exemtio) profecto delegatam illam a ſynodo Tridentina jurisdictionem æquivalere jurisdictioni *ordinariæ*, & adeo *latioris eſſe interpretationis* cenſendum eſt.

DE MODO PERVENIENDI AD DIGNITATES ECCLESIASTICAS.

CXXIII.

In Eccleſia ſua uſque in finem mundi duratura, etſi divinus ejus inſtitutor Chriſtus ſemper quoque voluerit eſſe aliquos, qui ſacro, quod in illa inſtituerat, præeſſent imperio: quo tamen

illi

illi modo ad id muneris ſeligendi eſſent & vocandi, nuſpiam conſtituit.

CXXIV.

Sed neque ab Apoſtolis ulla hanc in rem lex edita, & quod hoc in negotio ſubin egerunt ipſi, non eſt uniusmodi.

CXXV.

Ab eorum morte, Epiſcopi fere ubivis a vicinis Provinciæ Epiſcopis eligebantur, Clero ſimul, populoque in ſuffragii partem vocato.

CXXVI.

Quoniam vero populus non raro turbas concitabat, paullatim is ab electione removeri cœpit, admiſſis tantum optimatibus & honoratioribus.

CXXVII.

Quæ res fecit poſtea, ut & Regibus plurimum tribueretur in electionibus, quippe qui præ Optimatibus multo plus valerent ad commoda Eccleſiarum promovenda, ad electionum compeſcenda diſſidia, ac prætenſiones malevolorum reprimendas.

CXXVIII.

Peractæ electioni poſtea ſub ſtirpis Carolinæ & Saxoniæ Regibus, cum Epiſcopi Germaniæ *Regalia* non pauca poſſiderent, addita inveſtitura eſt *per annulum & baculum*; ob quam dein ortum ſub Gregorio VII. Pp. diſſidium Pontifices inter & Imperatores, quod annis pro-

pemodum quinquaginta Ecclesiam æque ac Imperium vehementer afflixit, *transactione Calixtina* demum exstinctum. Utque reddita Ecclesiæ Imperioque pax esset firmior, etiam jure *Regaliæ* & *spolii* se se abdicavere Imperatores.

CXXIX.

Novam electiones Episcoporum faciem accepere seculo XIII. dum *Capitula cathedralia* electiones has sibi solis attribuerunt; quod ius moribus initio quæsitum, postea & Pontificum & Imperatorum constitutionibus est confirmatum, imminutum tamen rursus per Pontifices maxime Avenione residentes, qui reservationes Episcopatuum permultum auxerant.

CXXX.

At restitutum illis rursus, quantum ad Germaniam per *ConcordataGermaniæ* est a. 1448. quibus *libera* & *canonica* Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum electio Capitulis metropoliticis, cathedralibus, & monasticis confirmata fuit, reservato solum Pontifici jure *confirmandi* electos *in ecclesiis Metropolitanis & cathedralibus etiam Apostolicæ sedi immediate non subjectis, & in monasteriis Apostolicæ sedi immediate subjectis*. Concord. Germ. §. 3. Qua electionum libertate perfruitur Germania etiamnum.

CXXXI.

Facienda autem hæc electio est secundum formam in *cap. XLII. de Elect. & Electi potest.* præscriptam.

CXXXII.

Alter post electionem modus perveniendi ad dignitates ecclesiasticas *postulatio* audit, quæ est *electio personæ defectu canonico laborantis, annexam habens implorationem superioris, de eadem persona per dispensationem ad Prælaturam admittenda.*

CXXXIII.

Quare cum postulatio reipsa electio sit, diversa ab illa duntaxat in eo, quod annexam *habeat* implorationem superioris de concedenda dispensatione; relinquitur, ut forma electioni præscripta servanda itidem in postulatione sit; & adeo pro *postulato* habendus sit ille, in quem *major* Capituli pars consenserit, nisi fors pars Capituli *postulet*, pars *eligat*, quo casu pustulatus duplo majorem numerum suffragiorum habere debet, quam electus. Secus prævalet electio, dummodo suffragia pro Electo *unam tertiam* personæ postulatæ superent.

CXXXIV.

Unde porro admissio postulationis ab eo petenda est, qui jus *confirmandi* habet & *dispensandi* in impedimentis canonicis. Hinc quo-

niam jus confirmandi Episcopos, & Abbates *immediatos* Pontifici reservatum, etiam jus admittendi eorumdem postulationes ad Rom. Pontificem attinet.

CXXXV.

Tertius ad dignitates ecclesiasticas perveniendi modus, qui in ceteris fere omnibus extra Germaniam provinciis *electioni* surrogatus est, *nominatio* appellatur, qua Reges & Principes Christiani suis in regnis & provinciis personam designant, cui dignitas ecclesiastica, Archiepiscopatus, Episcopatus, aliave Prælatura a superiore ecclesiastico conferatur.

CXXXVI.

Nominatio hæc quum surrogata sit electioni, tandundem quoque juris, ac electio tribuit, estque idcirco dignitas *personæ nominatæ* necessario conferenda, nec potest confirmatio ei denegari, si nominationem canonicam esse appareat.

CXXXVII.

Accidit interdum, ut vacanti Ecclesiæ novus Episcopus per *translationem* detur, quæ fit, dum quis dimissa dignitate ecclesiastica, quam tenebat, ad aliam auctoritate superioris promovetur.

CXXXVIII.

Translationibus Episcoporum etsi vetus Ecclesia magnopere semper intercessit, maxime

postquam

poſtquam ſeculo IV. Epiſcopis Arianis peſſimo exemplo præeuntibus, ex avaritia & ambitione, nec jam infrequenter translationes quærebantur: admiſit tamen interdum aliquas, ſi nempe auctoritate ſuperioris fierent, eſſentque ejus generis, ut redundatura ex iis utilitas vulnus, quod tum diſciplinæ eccleſiaſticæ infligitur, compenſatura crederetur.

CXXXIX.

Hodie jus transferendi Epiſcopos Romano eſt Pontifici reſervatum, uſusque translationum non infrequens in Italia obtinet.

PARS III.

DE NEXU ECCLESIÆ CUM REPUBLICA ET JURIBUS PRINCIPUM CIRCA SACRA.

CXL.

Inſignis & permagna eſt Religionis Chriſtianæ ad felicitatem Reipublicæ præſtantia.

CXLI.

Augetur mirifice hæc præſtantia per ſacerdotii & Imperii concordiam.

CXLII.

Quorum ſicut quodque ſuo in genere eſt ſummum, & alterum ab altero independens: ita limites eorundem determinantur. 1. ex diver,

ſitate

verſitate finium, quorum gratia ſacerdotium & Imperium inſtitutum eſt. 2. ex diverſitate mediorum, quæ eis ad conſequendos fines ſuos data ſunt, & 3. ex diverſitate objecti, circa quod imperium & Sacerdotium occupantur.

CXLIII.

Ex determinatione horum limitum conſequitur porro, poteſtati civili *jus in Sacra*, quod in *determinatione ſacrorum* ſitum eſt, haudquaquam competere; competere tamen jus aliquod *circa ſacra*, quod jus ex ipſo Imperio civili profluit.

CXLIV.

Conſiſtitque jus iſtud in *jure Regio ſupremæ inſpectionis* in ea, quæ in territorio Reipublicæ aguntur, ne quid detrimenti inde perſentiat Reſpublica: nec non in jure, munereque *Patrocinii* ac *Tuitionis* res fidei, diſciplinæque Eccleſiæ.

CXLV.

Quare vi juris Patrocinii ac Tuitionis competit Principi jus 1. convocandi certis caſibus concilia, 2. coercendi veræ Religionis impugnatores. 3. prohibendi libros noxios. 4. Monendi de canonum obſervantia. 5. prohibendi, ne Prælati Eccleſiæ bona eccleſiaſtica alienent.

CXLVI.

CXLVI.

Ex jure Regio autem supremæ Inspectionis competit Principi 1. jus *Placeti Regii*, ut vocant, circa bullas ecclesiasticas. 2. Jus dandi *exclusivam*, quam ajunt, in electionibus Prælatorum. 3. Condendi *legem amortizationis*. 4. recipiendi recursum. & *appelationem ab abusu* 5. jus permittendi civibus a vera religione alienis liberum sacrorum exercitium in casu inevitabilis necessitatis, præcipue avertendi majoris damni Religionis.

CXLVII.

In Germania exortis sæculo sextodecimo funestimis illis Religionis dissidiis, Principes Protestantici paullo ampliora jura circa sacra sibi sumsere; nimirum sumsere sibi jus veterem religionem possessione dejiciendi, substituendique novam, ac determinandi adnexa Religionis, quorum jurium complexus *jus reformandi* vulgo audit.

CXLVIII.

Jus hoc reformandi a Principibus Protestanticis jam occupatum, in pace Westphalica tandem Imperatori, statibusque Imperii immediatis, Ecclesiasticis non minus, quam secularibus, cum *jure territorii & superioritatis ex commu-*

ni per imperium totum hactenus usitata praxi, comprehensa etiam nobilitate immediata, firmatum fuit.

CXLIX.

Adjecta tamen exceptio est, vi cujus omnes & singuli, qui *sive publicum sive privatum Catholicæ vel Augustanæ confessionis exercitium anno* 1624. *quacunque anni parte habuerunt, illud etiam deinceps retineant cum adnexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita esse probare possunt.* Quare *jus reformandi* instar *regulæ se* habet respectu statuum; subditisque contra illud excipientibus onus probandæ exceptionis incumbit.

CL.

Quapropter & dominis territorialibus jus *simultanei innoxii* competit, seu jus introducendi coexercitium Religionis, quæ in *anno regulativo* haud viguit, modo subditi in Religionis exercitio anno normali habito, non impediantur.

CLI.

Qui vero possessione ejusmodi in anno normali non fruebantur, his si diversam a Domino territoriali religionem profiteri velint, nonnisi flebile beneficium emigrationis concessum, quo si uti velint, detineri a Domino territorii nequeant, esto etiam *homines proprii* sint, modo æquum manumissionis pretium solvant.

CLII

CLII.

Poſſunt tamen hi etiam inviti a Domino territorii cogi ad emigrandum. Unde beneficio emigrationis ſubditis diverſæ religionis conceſſo, nequaquam ſublatum eſſe *jus tranſplantandi* eosdem ſubditos, ex æquali relatione utriuſque medii ad finem facile intelligitur.

CLIII.

Sive autem ſponte velint, ſive emigrare cogantur, ſemper eis integrum eſt *bona vel alienare vel retinere, ac per miniſtros adminiſtrare, libere etiam, ſi opus, accedere, recedere, nec denegandæ ſunt emigrantibus nativitatis, honeſtæque vitæ teſtimonia, nec inuſitatis reverſalibus, vel decimationibus ſunt gravandi.* Art. V. §. 36. & 37.

CLIV.

Denique Eccleſia *Proteſtantium* una cum illa *Reformatorum* ita in Germania jure civitatis donata eſt, ut jura illius cum juribus Eccleſiæ Catholicæ in Imperio Romano-Germanico ſint æqualia, ita *ut quod uni juſtum eſt, alteri quoque juſtum ſit.* P. W. art. V. §. I. Art. VII. §. I.

CLV.

At nihil hæc, quæ de jure reformandi ſtatuta ſunt, *ad regna & Provincias Domus Au-*

Austriacæ attinent, quorum intuitu *regia Majestas Suecicæ & Augustanæ Confessionis Ordines sibi nihil aliud reservarunt, quam facultatem apud suam Cæsaream Majestatem, pace tamen semper permanente, & exclusa omni hostilitate, ulterius respective interveniendi & demisse intercedendi.* Art. V. §. 41.

JUS ECCLESIASTICUM PRIVATUM.

PARS I.

DE PERSONIS ET BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

I.

Expoſita in *Jure publico Eccleſiaſtico* natura Imperii ſacri, quod Chriſtus Clericis, ſeu perſonis Eccleſiaſticis conceſſit, agendum hic de perſonarum harum ceteris qualitatibus.

II.

Clerici quemadmodum Deo, ejuſque miniſterio ſingulariter conſecrati ſunt: ita id ipſum etiam vita ſua oſtendant oportet. Quare non modo vitæ ſanctitatem internam, ſed etiam morum probitatem, decoremque externum, qui ſtatui eorum conſentaneus ſit, conſectari debent.

III.

Quo inter cetera etiam veſtitus & tonſura Clericalis — vita cælebs — abſtinentia ab armis — a mercatura, — a venatione — a genere vitæ ſordido — a negotiis ſecularibus pertinent &c.

IV.

Oportet Clericos quoque illimes eſſe ab iis ſeu vitiis, ſeu defectibus, quorum aliquo qui notati ſunt, *irregulares* audiunt.

V.

Irregularitatum genera multa ſunt ab Eccleſia ſtatuta, quorum tamen aliquæ nimis extenſæ ſubin fuere a Decretalium commentatoribus, veluti irregularitas ex *defectu lenitatis* quam vocant.

VI.

Ad vitæ probitatem, ceteraſque qualitates in Clero obtinendas, dici non poteſt, quantum educatio Clericorum in *ſeminariis*, ſeu *domibus ſacerdotalibus* conferat, quas proin ſingulis in Diœceſibus erigi ſynodus Tridentina quam ſaluberrime juſſit ſeſſ. 23. cap. 18. de Reform.

VII.

In primitiva Eccleſia ex communi penu, & maſſa oblatorum & poſſeſſionum pauperiores alebantur Clerici, & fideles.

VIII.

Seculo V. proventuum omnium *quatuor partes* fiebant, quarum una *Epiſcopo* & familiæ ejus propter hoſpitalitatem exercendam, altera *Clero*, tertia *pauperibus*, quarta *Eccleſiis reparandis* ceſſit. Ruralibus tamen Presbyteris interdum fundi, fundorumque proventus ſpecie

uſus

usfusfructus dati. Ac quanquam initio fundi isti a morte horum usufructuariorum ad Ecclesiam redirent, essetque in Episcopi arbitrio, an hos, an alios reditus successori dare vellet: postea tamen sive quod Episcopi interdum laicis jure usufructuario eos fundos concederent, sive quod Clericis odiosum videretur & molestum, novis precibus Episcopos pro reditibus adire, invaluit pedetentim, ut Parochi hi rurales jus perpetuum habere crederentur percipiendi proventus intra fines suarum parochiarum provenientes.

IX.

Et inde *beneficiorum perpetuitas* orta, quæ hodiedum obtinet, dum beneficium ecclesiasticum ex hodierna disciplina *jus* est *perpetuum percipiendi fructus ex Ecclesiæ bonis ob sacrum ministerium auctoritate ecclesiastica adnexum.*

X.

Multa hodie beneficiorum genera sunt. Alia *curata* & *simplicia*, *secularia* & *regularia* alia; alia *compatibilia* & *incompatibilia*, alia quibus *dignitas* aut *personatus* adnexus &c. Alia denique *electiva* & *collectiva.*

DE ERECTIONE ET COLLATIONE BENEFICIORUM.

XI.

Erectio & collatio beneficiorum Episcopatu minorum quemadmodum jure proprio & quasi congenito ad Episcopos diœcesanos pertinet, ita decem primis Ecclesiæ seculis, quibus collatio beneficiorum a sacra ordinatione sejuncta non erat, & ipsorum Ordinum collatio vice collationis beneficiorum fuit, omnis quoque beneficiorum collatio apud solum Episcopum remansit.

XII.

Et quanquam huius in conferendis beneficiis libertas hinc inde parumper imminuta esset, dum seculo octavo & nono invalescente *Jure Patronatus* Episcopi beneficia conferre interdum deberent iis, quos Patroni præsentaverant : at jus ipsum conferendi turbatum demum per *gratias exspectativas*, ac *reservationes Pontificias* plurimum fuit, quæ exeunte seculo duodecimo pedetentim inductæ, postea ita auctæ sunt, ut omnium pene nationum Episcopi ac Principes gravissimas querelas moverent, ac iisdem jure intercederent.

XIII.

Quarum priores Tridentina Synodus sess. 24. c. 19. de Reform. sustulit: his vero per *Concordata Germaniæ* modus est positus.

XIV.

Jus Patronatus viget etiamnum, continetürque 1. jure præſentandi Clericum ad beneficium vacans. 2. Percipiendi alimenta in neceſſitate 3. capiendi locum honoratiorem in Eccleſia & ſolemniis eccleſiaſticis 4. obligatione defendendi Eccleſiam, & ad ejus reparationem concurrendi.

XV.

Jus Patronatus utcunque inter res ſpirituali annexas *jure Decretalium* referatur, id tamen haud officit, quo minus Chriſtiani omnes, ne feminis quidem exceptis, juris hujus capaces ſint, acquirique illud poſſit aut *modo originario*, & quidem 1. *ordinarie* fundatione, dotatione, exſtructione; 2. *extraordinarie* præſcriptione, privilegio. Aut *modis derivativis*, ſucceſſione, donatione, ſeu etiam una cum caſtri, vel prædii, cui cohæret, permutatione, & venditione.

XVI.

Quapropter etſi in cauſſis juris patronatus controverſis jure Decretalium judex competens ſit Eccleſiaſticus, eæ tamen in Auſtria ad *Regimen excelſum*, in Bohemia ad *Curiam Regiam Provincialem majorem* pertinent.

XVII.

Quis autem cunque beneficia conferat, ſemper is eam ſervare debet regulam, *ut homines det beneficiis, non beneficia hominibus*, id eſt, ut ea non niſi *dignioribus*, & qui Eccleſiæ magis proficui futuri ſint, impertiatur.

XVIII.

Ad quam Regulam proin conſentanee intelligenda conſuetudo, quæ alicubi inoluit 1. recipiendi Canonicos nobiles tantum. 2 dandi *Exſpectativas* & *Canonicatus in herbis.*

XIX.

Beneficio obtento variæ tum *obligationes*, tum *jura* in *beneficiato* oriuntur. Ac primum quidem jure divino obligatur is ad rite præſtandum *officium* beneficio annexum. Id quod ſi præſtare pro eo, ac oportet, non poſſit, niſi quoque in loco beneficii reſideat, eodem jure ad reſidentiam in loco beneficii obſtringitur, illamque non otioſam, ſed diligenti cum officii expletione conjunctam.

XX.

Quæ obligatio potiſſimum ad Beneficiatos curatos pertinet, niſi forte officiorum colliſio exceptionem a reſidentiæ neceſſitate quandoque poſtulet, id eſt, ut Tridentina Synodus explicat, *niſi chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ vel*

Rei-

Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abeſſe poſtulent, ſeſſ. 23. c. 1. de Reform.

XXI.

Ac quanquam olim reſidentia perpetua exigeretur, jure tamen novo permiſſum ea in re aliquid; modo abſentiæ ſpatium ſingulis annis ſive continuum, ſive interruptum tres menſes non excedat in *Epiſcopatibus* & *beneficiis curatis*.

XXII.

Quoniam porro qui in uno beneficii loco reſidet, nequit ſimul reſidere in alterius beneficii loco, relinquitur, ut quæ lex reſidere in loco beneficii præcipit, eadem & beneficiorum pluralitatem prohibeat.

XXIII.

Obtinenti plene beneficium etiam *jus in ipſo beneficio* naſcitur, vi cujus jure pollet exercendi 1. cuncta *jura beneficii* & ſpiritualia & temporalia. 2. Exigendi & percipiendi proventus *reſidentiæ veræ & fictæ* aſſignatos. 3. *utendi*, *fruendi* prædiis eccleſiaſticis, in beneficium datis.

XXIV.

Quod tamen de proventibus ultra vitæ honeſtæ ſuſtentationem ſupereſt, impendere is in uſus pios obſtringitur adeo, ut ſi in profanos uſus eroget, ad reſarciendum obligetur.

XXV.

Quare neque consuetudine effici potest, ut de reditibus superfluis ad caussas profanas testari Clericis sit integrum; quanquam in foro externo id genus testamentorum tolerentur, ob odium litium, & quod perarduum sit bona superflua beneficialia secernere a *Patrimonio*, de quo libera illis disponendi testandique potestas est.

DE RESIGNATIONE BENEFICIORUM.

XXVI.

Beneficiatus quemadmodum ob *jus in beficio* privari beneficio non potest nisi in pœnam, & ob caussas in Canonibus expressas: ita propter *obligationem*, quam contraxit, præstandi *officium* beneficio annexum, abdicare se beneficio nequit, nisi & justa caussa, & Superioris adsit annutus.

XXVII.

Resignationes autem has *pure* & sine adjecta conditione, omnium autem minime in *favorem tertii* fieri oportet, quales recentior primum ætas *contra canones* a seculo XIV. introduxit.

DE INNOVATIONE BENEFICIORUM.

XXVIII.

Innovantur beneficia, dum ſtatus eorum primævus mutatur, quod fit *unione*, *diviſione*, *diminutione* & *retentione* beneficii.

XXIX.

Ad diminutionem beneficii *penſiones* pertinent, quæ ſunt certa redituum portio ex reditibus collati beneficii alteri ſolvenda.

XXX.

Quodſi penſiones hæ *eleemoſynarum* modo conſtituantur, id eſt, ſi portiones quædam proventuum in unius beneficio ſuperfluæ, in alterius Clerici non habentis, unde vitam honeſte toleret, ſuſtentationem impendantur, nihil illæ vitii habent, cum ita ad ſuccurrendum Clericorum indigentium *neceſſitati* quantæ quantæ comparatæ ſint: at aliud a ſeculo XII. penſionum genus invaluit, quo non modica redituum pars ſine diſcrimine num ſuperflua eſſet, Miniſtris Eccleſiæ eripi, nulla etiam moderatione in parum indigentes profundi poterat. Cui modum ſaltem poſuit Tridentina Synodus, quum ex toto tollere vix videretur conceſſum.

 XXXI.

XXXI.

In Germania ficut beneficiorum omnium dominium & collatio non creditur Pontifici competere, ita nec jus onerandi penfionibus beneficia. Ac quanquam beneficiis menfe papali vacantibus penfiones imponere poffit, haud illæ tamen ad fucceffórem tranfeunt, fi poftea in menfe ordinarii collatoris vacaverint.

XXXII.

Etiam *Annatis*, quæ funt *pars redituum primi anni Pontifici ex recens collato beneficio folvenda*, is eft per *Concordata Germaniæ* modus pofitus, ut de *Ecclefiis Cathedralibus & Monafteriis virorum* folvantur quidem *moderatæ* : de ceteris beneficiis autem non aliter, nifi fi valorem XXIV. Ducatorum excedant ; unde dignitates & Canonicatus nullas hodie annatas folvunt, quod omnes ad *valorem duntaxat XXIV. Ducatorum* in Camera Apoftolica taxati fint.

PARS

PARS II.

DE REBUS SACRIS ET ECCLESIASTICIS.

XXXIII.

Ex doctrina *Juris publici Ecclesiastici* de jure *determinandi Sacra* & *sacrorum exercitium* nullo negotio intelligitur, cuinam jus determinandi *liturgiam*, *dies festos*, & rem sacramentariam *Baptismatis*, *Confirmationis*, *Eucharistiæ*, *Pœnitentiæ*, *Ordinis*, *Unctionis infirmorum* & *Matrimonii*; determinandi item cultum Sanctorum, jejunia &c. competat.

XXXIV.

Hinc e. g. Ecclesia jure statuendi impedimenta Matrimonii *ut sacramenti*: Princeps jure statuendi impedimenta Matrimonii ut *contractus civilis* est, gaudet.

XXXV.

Jure Ecclesiastico Austriaco pro irritis censentur *minorennium* sponsalia sine Curatorum & Magistratus consensu celebrata. *

XXXVI.

Matrimonium in infidelitate contractum per professionem Religionis Christianæ alterutrius Conjugum haud solvitur. DE

*) Rescript. Cæs. Reg. de a. 1753. 12. April.

DE ECCLESIIS ET DOMIBUS RELIGIOSIS.

XXXVII.

Ad *res ſacras* etiam *Eccleſiæ* pertinent, id eſt ædes ſacræ ad quas fideles ſacrorum cauſa confluunt. Poſſunt quidem in omni loco fundi preces, Miſſæ tamen ſacrificium non niſi in loco ſacro & in menſa conſecrata offerendum.

XXXVIII.

Et quanquam Eccleſiæ *Parochiales* ſeculo IV. antiquiores vix eſſe videantur, nec fideles primis Eccleſiæ ſeculis templa habuerint eorum, quæ hodie habemus ſimilia: at certe ſui erant vel primis illis Chriſtianis conventuum ſacrorum loci, exercitio Religionis ſpeciatim deſtinati.

XXXIX.

Auctus poſtea ita numerus eſt Eccleſiarum, ut Juſtinianus Imp. legem ferre coactus ſit, ne quis Eccleſias poſthac abſque conſenſu diœceſani Epiſcopi ædificet.

XL.

Vetitum quoque in oratoriis privatis citra conſenſum Epiſcopi Miſſam celebrare, aut baptiſmum adminiſtrare.

XLI.

In Germania in quantum jus concedendi Ecclesiarum erectionem ad *jus reformandi* pertinet, normam specialem habet *ex Lege publica Pacis Westphalicæ.*

XLII.

Ecclesiæ reficiendæ & restaurandæ *jus & obligatio* penes Ecclesiam est. Quare reficienda illa est 1. ex reditibus ipsius Ecclesiæ, atque adeo 2. ex ipsorum etiam *beneficiatorum* reditibus, si qui congruæ sustentationi supersunt. His deficientibus membra Ecclesiæ, *Parochiani* primum, tum *Patroni* subsidia conferre debent.

XLIII.

Ædes Parochianæ quomodo & a quibus reficiendæ sint, peculiari Rescripto Regio in Bohemia de anno 1770. determinatum.

DE COEMETERIIS ET SEPULTURIS.

XLIV.

Jam inde ab Ecclesiæ exordio Majores nostri certis ritibus corpora Christianorum sepeliebant, ex quibus ritibus, auctis postea, *sepultura Ecclesiastica* manavit.

XLV.

Quum autem apud *Romanos* ſepultura in urbe jam inde a *XII. Tab.* tempore eſſet prohibita, morem hunc ſervarunt & Chriſtiani diu tum Romæ, tum alibi, donec Chriſtiana religione invaleſcente, *ſedes*, ſive ſepultura *Apoſtolorum* & *Martyrum intra urbes* permitterentur, ædificatis ibidem baſilicis Martyrum. Juxta quæ ſepulcra quoniam porro & ceteri fideles ſepeliri deſiderabant, evenit tandem, ut ſepulturis non quidem ipſæ Eccleſiæ, ſed loca prope Eccleſias deſignata & conceſſa fuerint, eaque tam intra quam extra urbes ubicunque Eccleſiæ publicæ, ſive parochiales eſſent exſtructæ. Atque inde illorum locorum origo, quæ hodie *cæmeteria* dicimus, quæque hodie ſunt *loca publica ad ſepulturam unice auctoritate ſacra ſolenniter deſtinata.*

XLVI.

Quapropter nova cœmeteria erigi nequeant 1. ſine conſenſu Epiſcopi; 2. & in terris Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ ſine conſenſu Principis. *) 3. Jus habendi cœmeterii jus *Parochiale* eſt, æque ac jus in eodem ſepeliendi.

XLVII.

---

*) Reſcript. Cæſ. Reg. dd. 14. Aug. 1772.

XLVII.

A ſeculo X. in ipſis Eccleſiis fideles quidam honoratiores ſepulturæ dati. Qua in re quid hodie fieri oporteat, ſpeciali Reſcripto Regio de 14. Aug. 1772. determinatum.

XLVIII.

Oblationes etiam funerarias quales, quantaſque tum Eccleſiæ, tum ejus miniſtris dare oporteat, conſtitutum itidem Regiis Reſcriptis de anno 1751. & 1769.

XLIX.

In pace Weſtphalica conventum quidem, *ne quis intuitu Religionis a publicis cœmeteriis, honoreve ſepulturæ arceatur*, art. 5. §. 35. At accipi iſtud non poteſt de locis, ubi publicum religionis Proteſtanticæ exercitium non toleratur, in quibus proinde locus eſt legi eccleſiaſticæ, *ſepulturam eccleſiaſticam* hæreticis neganti.

DE JURIBUS ET IMMUNITATIBUS LOCORUM SACRORUM ET RELIGIOSORUM.

L.

Eccleſiæ cultibus ſacris deſtinatæ non poſſunt uſibus profanis permitti. Quare nec in iis, nec in cœmeteriis quidquam negotiationum exercendum, nec merces, aliæve res ibi de-

deponendæ, nisi urgente summa necessitate in incendiis aut hostium incursione.

LI.

Ob eandem caussam sanctitas externa seu securitas publica specialis data Ecclesiis contra aliorum injurias, quæ si inferantur in iis, graviori pœnæ sunt obnoxiæ.

LII.

Sed inter immunitates Ecclesiis datas *jus asyli* celeberrimum est, quo securitas data confugientibus ad Ecclesias, ut extrahi inde nequeant, utcunque scelera morte plectenda commiserint.

LIII.

Est itaque jus asyli species quædam juris *adgratiandi*. Istud autem quum pars sit juris, quod *vitæ & necis* dicimus, quodque solis summis Imperantibus civilibus competit, sane ipsius etiam juris asyli concessio ad eosdem imperantes civiles pertinet, quorum imperium civile religio Christiana haudquaquam imminuit. Et possunt profecto & tempora ostendi & tabulæ, quando & in quibus jus asyli ab Imperantibus civilibus concessum Ecclesiis, ac quantum illud, & quam vario modo auctum, modo iterum restrictum.

LIV.

LIV.

Ut concederent autem, occaſionem præbuere primum *interceſſiones Epiſcoporum*. Cum hi enim optime noſſent, plenam cordis converſionem non tam cito fieri ſolere, intercedebant illi apud judices, faverent vitam longiorem reis, quo pœnitentiæ eccleſiaſticæ ſubjicerentur. Quod cum impetraſſent ſæpius, generatim tandem conceſſum, ut reis ad Eccleſiam confugientibus hoc ipſo tutis eſſe liceret, & ſecuris.

LV.

Quoniam autem pœnitentia illa eccleſiaſtica, cui ſubjiciebantur, & diuturna tunc erat, & pergravis, periculum non erat, ut aſyli conceſſio fraudi eſſet reipublicæ, aut homines audaciores redderet in delinquendo.

LVI.

Jus hoc aſyli ſane vetuſtiſſimum extenſum demum ad cœmeteria eſt, ad Epiſcoporum habitationes, Monachorumque & Canonicorum clauſtra.

LVII.

Sed quum jure divino homicidæ etiam ab altaribus abripi poſſent ad ſupplicium, *) crimina atrocia excepta ſunt. Jure Auſtriaco etiam obærati, qui in fraudem creditorum fugam capiunt, aſylo non gaudent.

*) Exod. XXI, 14.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ACQUISITIONE.

LVIII.

Quoniam Personæ Ecclesiasticæ in numero civium manent, & Ecclesiæ, ac corpora ecclesiastica communione jurium civilium fruuntur: hinc sunt 1. illa acquirendorum bonorum capacia. 2. Potestate autem civili in acquisitione æque ac alienatione eorundem bonorum subjecta.

LIX.

Et in acquisitione quidem bonorum legibus civilibus semper usa est Ecclesia præter eam, quæ per *ultimam voluntatem* fit; de qua ut leges suas ederet, occasionem Justinianus præbuit, dum curam & executionem *piarum dispositionum* Episcopis imposuit.

LX.

Inde ortæ leges illæ juris Canonici, quibus 1. *in testamentis & legatis ad pias caussas* nulla necessaria sit solennitas, modo de ultima voluntate constet sive *per duos testes*: sive *per idoneum instrumentum defuncti*. Et quibus 2. *legata pia* debeantur ex testamento etiam respectu *aliorum* imperfecto. Quæ leges etiam in foro & tribunalibus Germaniæ jure civitatis donatæ sunt.

LXI.

Jure Auſtriaco tamen ſpeciali nequuunt Clerici conficere teſtamenta *aliena*, & qui de Clero regulari ſunt, ne teſtium quidem nemero defungi in iis poſſunt. *)

LXII.

Legata *pia* porro non ſubjacent detractioni *Falcidiæ*; ſubjacent autem detractioni *Trebellianicæ* fideicommiſſa pia univerſalia.

LXIII.

Qui vero ad teſtandum omnino inhabiles ſunt, eos ſaltem ad *cauſſas pias* teſtari poſſe, nec ex diſpoſitione juris, nec ex natura piarum cauſſarum eruitur.

LXIV.

Quum porro Eccleſia ſemper acquireret, nunquam alienaret, periculumque eſſet, ne omnium immobilium, vel majoris partis domina fieret, unde in rempublicam, cujus intereſt, ut multi fundi ſint in commercio, multum incommodi; in Principes vero *ob immunitatem eccleſiaſticam* ingens detrimentum redundaret: cum in multis regnis, tum in terris hæreditariis Auguſtiſſimæ, Domus Auſtriacæ, *lex amortiſationis* lata fuit, qua novæ immo-

*) Reſcript. Reg. de a. 1771. 4. Sept. & 1772. 25. Julii.

mobilium acquiſitiones communitatibus eccleſiaſticis interdictæ ſunt, niſi Rex ſpeciatim acquirendi poteſtatem faciat; quam haud facit, niſi *amortiſationis* jus eidem ſit præſtitum, id eſt, ſolutum certum pretium de prædio, quod devenit in *manus mortuas.*

LXV.

De acquiſitione etiam mobilium per terras hæreditarias Auſtriacas peculiariter ſancitum, ut clauſtra Regularium ab iis, qui per vota ſolennia ſe ſe illis mancipant, ultra ſummam 1500. fl. acquirere nihil poſſint.*)

DE BONORUM ECCESIASTICORUM ADMINISTRATIONE, ALIENATIONE ET PRÆSCRIPTIONE.

LXVI.

Ut bona Eccleſiarum magis in tuto eſſent, ſancitum, ut quantum ad horum adminiſtrationem 1. Eccleſia jure *Minoris cenſeatur.* 2. Ut bonorum adminiſtratores inire quidem poſſint contractus ad bonorum *conſervationem* legitimumque *uſum* tendentes, at non eos, quibus *alienatio* ineſt, niſi adhibita *ſolennitate eccleſiaſtica.*

LXVII.

*) Reſcript. Reg. a. 1771. 26. Aug.

LXVII.

Sed & conſenſus *Principis* ad validam alienationem vel maxime requiritur, tanquam *Protectoris* Eccleſiarum, & ſupremi *Inſpectoris* in Republica. *)

LXVIII.

Quod ſi illegitime facta ſit alienatio, datum Eccleſiæ eſt non tantum *jus vindicandi* alienata a quovis poſſeſſore una cum fructibus, ſed & actio *perſonalis* eidem conceſſa adverſus alienantem ejuſque hæredes ad damni illati reſarcitionem.

LXIX.

Contra *Eccleſiam* & *corpora pia* quoad bona eorum immobilia non præſcribitur, niſi lapſu temporis *longiſſimi XL.* annorum.

LXX.

Jure autem auſtriaco quum bona eccleſiaſtica non rite alienata, ſine mora Eccleſiæ una cum fructibus olim reſtituenda eſſent *non obſtante quacunque præſcriptione*, Leopoldus Imperator poſtea ſaltem *centenariæ* præſcriptionis rationem habere voluit. **)

*) Reſcript. Reg. de a. 1545. Cod. Auſt. Tom. I. p. 402. & Landsordnung des Königreichs Böheim f. 25.

**) Conſtitutione de anno 1704.

DE DECIMIS.

LXXI.

Quum primis Ecclesiæ seculis arbitrio Fidelium relictum esset, quid, quantumve symbolæ conferre ad sustentationem ministerii sacri quisque vellet ineunte seculo quarto Patres hortari fideles cœpere, ut exemplo Reipublicæ Judaicæ *decimas divinarum* rerum ministris persolverent. Hortatibus leges dein additæ: ecclesiasticæ primum seculo sexto: ac civiles etiam octavo seculo a Carolo M. quin imo jure plane divino decimas deberi, sequentibus seculis putabatur.

LXXII.

Inde porro creditum: caussas decimarum omnes ad forum pertinere ecclesiasticum, remque hanc totam ex legibus potestatis ecclesiasticæ, maxime Pontificis esse dirigendam. Unde tot Rescripta Pontificum in caussis decimarum, collectioni *Decretalium Gregorii IX. inserta.*

LXXIII.

Hodie eliquati satis juris est, *decimas* jure divino non deberi, etsi sustentatio congrua ministris Ecclesiæ debeatur, quum nihil æquius, quam ut qui aliorum ministerio se dedit, ab iisdem etiam sustentetur.

LXXIV.

LXXIV.

Penduntur tamen hodienum decimæ in locis non paucis, ex consuetudine *pia Principum voluntate* sustentata; quorum ea sane est auctoritas, ut si Reipublicæ salus posceret *decimarum* usum omnino tollere, atque in ejus locum surrogare alium modum possent, quo congrua sustentatio suppeditaretur Clericis.

LXXV.

Quare etiam causa decimarum ad judicem civilem tam inBohemia, quam inAustria pertinent.

PARS III.

DE JUDICIIS ET POENIS ECCLESIASTICIS.

LXXVI.

Secernenda jurisdictio Ecclesiæ *Essentialis* ab *adventitia.*

LXXVII.

Illius natura & limites in *Jure Publico Ecclesiastico* expositi. Hæc a sæculo nono, quo jurisdictionis civilis & ecclesiasticæ limites mirifice jam permixti erant, Ecclesiæ advenit.

LXXVIII.

Advenit autem potissimum 1. *ratione peccati*, qua caussa etsi civilis, si peccandi subesset periculum, ecclesiasticæ esse cognitionis con-

tendebatur; unde & *denunciatio Evangelica* fluxit. 2. Ex negligentia judicum laicorum, quæ *supplenda* videbatur per judicem ecclesiasticum 3. Ex jurejurando negotiis adjecto.

LXXIX.

Hinc cum *forum* sit *locus exercendæ jurisdictionis*, quousque *forum Ecclesiasticum* se se jure suo *primigenio*, & quousque jure *adventitio* exporrigat, facile intelligitur.

LXXX.

Fori autem ecclesiastici privilegium largitate Principum Clericis concessum, quum olim ad omnes Clericos, qui tonsuram haberent extenderetur, restrictum illud demum sanctione synodi Tridentinæ ita est, ut fori privilegio *non gaudeant Clerici prima tonsura initiati, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, aut Clericalem habitum, & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel in seminario Clericorum aut in aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi, quasi in in via ad majores ordines suscipiendos versentur*, Trid. sess. XXIII. c. 6. de reform.

LXXXI.

Præterea neque hoc fori privilegio fruuntur Clerici nisi si 1. *rei* vice fungantur. 2. in actionibus *personalibus*, non item *realibus*.

LXXXII.

LXXXII.

Forma judiciorum ecclesiasticorum a seculo XII. permultum immutata est. Cum enim primis seculis judicia Ecclesiastica essent instar *arbitriorum*, exulabant in illis formulæ tribunalium secularium. Sed Seculo XII. formularum ambages, velut agmine facto, totaque tritura forensis in tribunalia Ecclesiastica est introducta, occasionem præbente *studio legum civilium*, quod tum magnopere deperibant Clerici.

LXXXIII.

Inde 1. varia in tribunalibus ecclesiasticis *processus judicialis* exorta genera. Processus *ordinarius* — *Summarius* — *criminalis* — *civilis* — *primæ* — *secundæ instantiæ* — *juris communis* — *juris particularis &c.*

LXXXIV.

Inde 2. in jurisprudentia Ecclesiastica doctrina: De *libelli* oblatione. De *citationibus.* De *contumacia actoris vel rei.* De *litis contestatione.* De *dilationibus & feriis.* De *petitionibus mutuis actoris & rei.* De *modo & ordine plures caussas in judicio pertractandi.* De *exceptionibus & replicationibus.* De *litis pendentia.* De *confessione.* De *Probationibus.* De *testibus.* De *instrumentis.* De *jurejurando.* De *præsumtionibus.* De *sententia & re judicata.* De *appellationibus, recusationibus & relationibus* &c.

LXXXV.

Possunt lites etiam extra judicium finiri, amica nempe *conventione litigantium*, seu *transactione*, aut *per assumtos arbitros*.

DE POENIS ECCLESIASTICIS.

LXXXVI.

Quandoquidem non aliud *jus cogendi* Ecclesiæ divinitus concessum est, nisi ut privatione *sacrorum*, id est, eorum bonorum, quæ Deus dispensari per Ecclesiam membris societatis Christianæ voluit, adigere fideles posset: etiam *jus puniendi* Ecclesiæ a Christo datum, non ultra *sacrorum* privationem, atque adeo ultra *pœnas spirituales* se se exporrigit.

LXXXVII.

Illud olim Episcopi in synodis, hodie per *Consistoria diœcesana* exercent; causis Episcoporum criminalibus majoribus Pontifici reservatis. *Trident. sess. XXIV. c. 5. de reform.*

LXXXVIII.

Juri huic puniendi sicut omnia Ecclesiæ membra subjacent: ita cum per illud nihil imminuta sit potestas puniendi *civilis Principum*, manebant huic subjecti etiam Clerici. Sed favore & reverentia Religionis, a foro Reipublicæ criminali Clericos exemtos voluere Principes,

causis

cauffis Clericorum criminalibus *difcuffioni ecclefiafticæ* relictis *)

LXXXIX.

Etiam fori hujus *criminalis privilegiati forma* admodum fimplex erat quamdiu forum *internum* ab *externo* feparatum non fuit. At ubi feculo XII. forum pœnitentiæ in praxi feparari cœptum a judiciali, atque iftud quidem primario alicui prefbytero, ceteris dominaturo, quem *Vicarium Epifcopi* feu *Officialem* vocarunt, illud vero inferioribus, & *vilioribus Prefbyteris* demandatum eft: fimplex illa forma in formularum ambages, tricasque forenfes mutata: proceffus denique civilis folenniffimus in judicia criminalia ecclefiaftica eft introductus;

XC.

Ifque triplex; *accufatorius*, *inquifitorius & denuntiatorius*.

XCI.

Purgationes tamen *vulgares*, quæ vulgo per *Ordalia*, feu *judicia Dei* fieri dicebantur nufquam probabantur Pontificibus, qui in earum locum *purgationem canonicam* feu *juramentum purgatorium* fubftituere.

XCII.

Ad hoc forum ecclefiafticum *adventitium* etfi olim etiam laicorum delicta frequentiffime pertra-

*) Conftit. Crim. Theref. Art. XIX. §. 20.

pertraherentur, hodie *foro ecclesiastico regulariter delinquentes laici non subsunt, præterquam eo in casu, dum decisione alicujus quæstionis præjudicialis mere spiritualis opus, quo casu reus ad judicium ecclesiasticum sistendus, ac pro re nata in curiis laicis per commissarios ecclesiasticos examinandus est. Decisa quæstione spirituali, processus criminalis a judice laico privative peragendus est. Atque idem etiam agendum, si qualitas criminis jam definita & notoria est.* Constit. Crim. Theres Art. XIX.

XCIII.

Jus *cogendi* porro & *puniendi* Ecclesia inflictione *censurarum* exercet.

XCIV.

Censuræ ergo in plurium vel pauciorum bonorum spiritualium privatione consistunt.

XCV.

Quarum maxima, & quæ omnibus his bonis privat, *excummunicatio major* audit. Ceteræ quibusdam tantum bonis privant, & sunt: *Excommunicatio minor, interdictum, suspensio.*

XCVI.

Effectibus Excommunicationis spiritualibus additi subin etiam civiles sunt; unde *Principum* circa Excommunicationem jura quædam orta.

XCVII.

Quibus usa AUGUSTISSIMA IMPERATRIX MARIA THERESIA anno 1768. præcepit, ut caussa percussionis Clerici, cui jure canonico pœna Excommunicationis annexa est, a Commissariis ecclesiasticis, & secularibus pari numero discutiatur, ante sententiæ tamen incursæ excommunicationis executionem, tam in hoc, quam in aliis casibus, *Placetum*, seu consensus Regius exquiratur *).

XCVIII

Vulgatissima hodie, ac frequentissima est excommunicatio, quam *latæ sententiæ* dicimus; cujus tamen per novem ecclesiæ secula, imo in ipso *Gratiani Decreto* vix ullum vestigium. Nempe monitionum vicem, quæ alias præmittebantur, lex ipsa, cui *excommunicatio latæ sententiæ* inserta est, subire creditur.

---

*) Corp. Juris. Eccles. Bohem. p. 183. & 186.